

ENARRATIO

IN PSALMUM XLIII.

Sermo ad plebem¹.

I. PSALMUS iste filiis Core dicitur, sicut ejus titulus præfert. Interpretatur autem Core calvitium vel calvaria, et invenimus in Evangelio Dominum Jesum Christum in loco Calvariæ crucifixum². Ergo clarum est, quod filii passionis ejus cantetur hic Psalmus. Habemus autem hinc evidentissimum et firmissimum testimonium apostoli Pauli: quia tum cum in persecutionibus gentilium laboraret Ecclesia; hinc sumpsit versum, quem interponeret ad exhortationem et consolationem patientiæ. Hic enim dictum est, quod ille in Epistola sua posuit: « Propter te » mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis³. » Vocem ergo Martyrum audiamus in Psalmo: et vox Martyrum videte quam bonam causam habeat, cum dicit: « Propter te. » Nam et Dominus ideo addidit, propter justitiam, cum diceret: « Beati qui persecutionem » patiuntur propter justitiam⁴: » ne quisquam persecutionem patiens, ex ipsa pœna quæreret gloriam, non bonam habens causam. Et hinc exhortatus suos ait: « Beati » eritis, cum vobis illa et illa fecerint, vel dixerint homines, propter me. » Hinc ergo vox: « Propter te mortificamur tota die. »

¹ In hoc Sermonem ad plebem plurimum gratiam Dei commendat Augustinus. — ² Matth. xxvii, 33. — ³ Psal. xliii, 22, et Rom. viii, 36. — ⁴ Matth. v, 10.

II. Est autem magnæ considerationis et magnæ profunditatis consilium Dei, quid causæ fuerit, ut cum patres nostros Patriarchas, et totum illum populum Israël eduxerit in manu fortissima de Ægypto, et persequentes inimicos eorum in mari demerserit, duxeritque per contradicentes gentes, debellatisque hostibus in terram promissionis posuerit, victoriasque magnas ex paucitate suorum in magna inimicorum multitudine fecerit: postea placuerit ei quasi avertere se a populo suo, ut stragem occisionis et mortis paterentur sancti ejus, et nemo resisteret, nemo defenderet, nemo prohiberet; quasi averterit faciem suam a gemitibus eorum, quasi oblitus sit eos, quasi ipse non sit Deus, qui in manu valida et brachio excelso evidentissima potentia patres nostros, id est, illum populum, sicut dixi, ab Ægypto liberatum, victis pulsisque de terra sua gentibus constituerit in regno, mirantibus omnibus quod sæpe a paucis multi victi essent. Hoc ergo in gemitu confessionis incipit cantari in Psalmo isto. Non frustra enim ista facta sunt, nisi ut intelligatur quare facta sint. Proinde quia facta sunt, manifestum est: quare sint facta, altius quærendum est. Ideo titulus non habet tantum, « Filiis Core; » sed, « In intellectum » filiis Core¹. » Hoc et in illo Psalmo est, cujus primum versum ipse Dominus de cruce dixit: « Deus meus, Deus » meus, respice in me, quare me dereliquisti?² » Transfigurans enim nos in id quod dicebat, et in corpus suum, (quia et nos sumus corpus ejus, ille caput nostrum,) vocem de cruce non dixit suam, sed nostram. Non enim unquam eum dereliquit Deus, nec ipse a Patre unquam recessit: sed propter nos dixit hoc: « Deus meus, Deus » meus, ut quid me dereliquisti? » Nam sequitur ibi: « Longe a salute mea verba delictorum meorum³. » Et

¹ Psal. xliii, 1. — ² Id. xxi, 2. — ³ Ibid. 3.

ostendit ex quorum persona hoc dixerit : non enim in ipso delictum potuit inveniri. « Clamabo ad te, inquit in ipso » Psalmo, per diem, et non exaudies; et nocte¹, » subauditur utique, et non exaudies : sed addidit : « Et non » ad insipientiam mihi², » id est, hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi, sed ad intellectum. Quid est, ad intellectum non exaudies? Id est, me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te desideranda sempiterna. Non ergo relinquit Deus, et cum videtur relinquere, tollit quod male desiderasti, et docet quid debeas bene desiderare. Si enim semper Deus in istis prosperitatibus faveret nobis, ut omnia nobis abundarent, nullamque in tempore isto mortalitatis nostræ tribulationem, nullas pressuras angustiasque pateremur; non diceremus nisi ista esse summa bona quæ præstat Deus servis suis et majora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic vitæ male dulci miscet amaritudines tribulationum, ut alia quæ salubriter dulcis est, requiratur : hoc est, « In » intellectum filiis Core. » Denique audiamus Psalmum, et ibi potius hoc videamus.

III. « Deus auribus nostris audivimus, patres nostri » annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus » eorum, et in diebus antiquis³. » Admirantes quare in istis diebus tanquam deseruerit eos quos in passionibus exercere voluerit, recolunt præterita quæ audierunt a patribus, tanquam dicentes : Non ea quæ patimur nobis retulerunt patres nostri. Nam et in illo Psalmo hoc dixit : « In te speraverunt patres nostri, speraverunt et erusti » eos : ego autem sum vermis, et non homo ; opprobrium » hominum, et abjectio plebis⁴. » Illi speraverunt, et liberasti eos : ego-ne speravi, et dereliquisti me; et sine causa credidi in te, et sine causa nomen meum scriptum

¹ Psal. xxi, 3. — ² Ibid. 2. — ³ Id. xlii, 17. — ⁴ Id. xxi, 5-7.

est apud te, et nomen tuum scriptum est in me? Hæc ergo nobis indicaverunt patres nostri. « Manus tua gentes dis- » perdidit, et plantasti eos; infirmasti populos, et expu- » listi eos¹. » Id est, populos expulisti de terra sua, ut istos introduceres atque plantares, eorumque regnum tua misericordia confirmares. Hæc audivimus a patribus nostris.

IV. Sed forte ideo illi ista potuerunt, quia fortes erant, quia præliatores, quia invicti, quia exercitati, quia bellicosi? absit. Non hoc indicaverunt nobis patres nostri, non hoc habet Scriptura : sed quid habet, nisi quod sequitur? « Non enim in gladio suo hæreditate possederunt terram, » et brachium ipsorum non salvos fecit eos : sed dextera » tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui². » Dextera tua, » potentia tua : « Brachium tuum, » ipse Filius tuus. « Et illuminatio vultus tui : » Quid est hoc? Quia talibus signis eis affuisti, ut præsens intelligeris. Numquid enim quando nobis Deus aliquo miraculo adest, faciem ipsius oculis nostris videmus? Sed effectu miraculi suam præsentiam insinuat hominibus. Denique omnes qui mirantur ad hujuscemodi facta, quid dicunt? Vidi Deum præsentem. « Sed dextera tua, et brachium tuum, et il- » luminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis. » Hoc est, sic cum eis egisti, ut bene placeres in eis : ut quisquis eos attenderet quomodo cum eis ageretur, diceret quia vere Deus est cum illis, et Deus illos agit.

V. Quid ergo? Alter erat tunc, et alter est nunc? absit. Quid enim sequitur? « Tu es ipse rex meus et Deus » meus³. » Tu es ipse, non enim mutatus es. Tempora mutata video, creator temporum non mutatur. « Tu es » ipse rex meus et Deus meus. » Tu me soles ducere, tu me soles regere, tu mihi soles subvenire. « Qui mandas

¹ Psal. xliii, 3. — ² Ibid. 4. — ³ Ibid. 5.

» salutem Jacob. » Quid est, « Qui mandas? » Etiam si tu per tuam prorsus substantiam atque naturam qua es quidquid es, occultus es, nec per hoc quod es interfuisti patribus, ut facie ad faciem te viderent: tamen per quamlibet creaturam tu mandas salutem Jacob. Et enim illa visio facie ad faciem, liberatis in resurrectione servatur. Et illi patres etiam Novi Testamenti, quamvis revelata mysteria tua viderint, quamvis revelata secreta annuntiaverint; tamen in speculo se videre dixerunt et in ænigmate: servari autem visionem in futurum facie ad faciem¹, quando venerit quod ipse Apostolus ait: « Mortui enim » estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: » cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos » apparebitis cum ipso in gloria². » Tunc ergo nobis servatur visio illa facie ad faciem. De qua et Joannes dicit: « Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid » erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est³. » Etsi ergo tunc patres nostri non te viderunt facie ad faciem secundum quod tu es, etiam si ista visio servatur in resurrectione: tamen et si Angeli affuerunt: « Tu mandas salutem » Jacob. » Non solum per te ades, sed per quaecumque creaturam tuam affueris, tu mandas hoc propter salutem servorum tuorum quod tu ipse per te facis: hoc autem fit pro salute servorum tuorum quod faciunt quibus mandas. Cum ergo tu ipse sis rex meus et Deus meus, et tu mandes salutem Jacob, quare ista nunc patimur?

VI. Sed forte præterita tantum narrata sunt nobis, de futuro autem non est aliquid tale sperandum. Imovero sperandum. « In te inimicos nostros ventilabimus⁴. » Ergo patres nostri indicaverunt nobis opus, quod operatus es

¹ 1 Cor. xii, 12. — ² Coloss. iii, 3, 4. — ³ 1 Joan. iii, 2. — ⁴ Psal. liii, 6.

in diebus eorum, et in diebus antiquis: quia manus tua gentes disperdidit, eiecisti populos, et plantasti eos. Ista præterita sunt: de futuro vero quid erit? « In te inimicos » nostros ventilabimus: » veniet tempus quando omnes inimici Christianorum, sicut palea ventilentur, sicut pulvis ventilentur, et de terra projiciantur. Ergo si et præterita sic sunt nobis narrata, et futura talia prænuntiata; in medio præsentium quare laboramus, nisi in intellectum filiis Core? « In te inimicos nostros ventilabimus: et in » nomine tuo spernemus insurgentes in nos¹. » Hoc de futuro.

VII. « Non enim in arcu meo sperabo²: » quomodo nec patres in gladio suo. « Et gladius meus non salvum » faciet me. »

VIII. « Salvos enim fecisti nos ex affligentibus nos³. » Et hoc figura præteriti de futuro dicitur: sed ideo tanquam præteritum dicitur, quia tam certum est quasi factum sit. Intendite quare pleraque Prophetæ ita dicunt, tanquam præterita sint, cum prænuntientur futura, non facta. Nam et de ipso Domino futura passio prænuntiabatur, et tamen, « Foderunt, inquit, manus » meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: » non dixit: Fodient, et dinumerabunt. « Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me: » non dixit: Considerabunt et conspicient. « Diviserunt sibi vestimenta mea⁴: » non dixit: Divident. Omnia ista tanquam præterita dicuntur, cum futura sint: quia Deo et futura tam certa sunt, tanquam præterita sint. Nobis enim ea quæ præterierunt, certa sunt; quæ futura, incerta sunt. Novimus enim aliquid accidisse, et non potest fieri ut non acciderit quod accidit. Da Prophetam cui tam certum sit futurum, quam tibi præteritum: et quam tibi quod meministi fac-

¹ Psal. xlili, 6. — ² Ibid. 7. — ³ Ibid. 8. — ⁴ Id. xxi, 17-19.

tum, non potest fieri ut non sit factum, tam illi quod novit futurum, non potest fieri ut non fiat. Ideo de securitate dicuntur tanquam præterita, quæ adhuc futura sunt. Hoc ergo speramus. « Salvos enim fecisti nos ex affligentibus nos, et eos, qui oderunt nos, confudisti. »

IX. « In Deo laudabimur tota die. » Videte quemadmodum miscet etiam verba futuri temporis, ut intelligas et præterita quæ dicta sunt de futuro esse prædicta. « In Deo laudabimur tota die : et in nomine tuo confitebimur in sæcula¹. » Quid, « Laudabimur? » quid, « Confitebimur? » Quia ex omnibus affligentibus nos eruisti nos, quia regnum perpetuum dabis nobis, quia complebitur in nobis : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te². »

X. Hæc ergo futura cum certa sint nobis, et illa præterita cum a patribus nostris audierimus, quid modo? « Nunc autem repulisti et confudisti nos³. » Confudisti, non in conscientia nostra, sed in facie hominum. Erat enim tempus quo affligerentur Christiani, cum ubique fugerunt, cum ubique diceretur : Christianus est, tanquam ad insultationem et ad opprobrium pertineret. Ubi est ergo ille Deus noster, rex noster, qui mandat salutem Jacob? Ubi est ille qui fecit omnia, quæ nobis narraverunt patres nostri? Ubi est qui facturum est omnia, quæ nobis revelavit per Spiritum suum? Numquid mutatus est? Sed in intellectum filiis Core fiunt hæc. Aliquid enim intelligere debemus, quare nos ista omnia medio tempore pati voluit. Quæ omnia? « Nunc autem repulisti et confudisti nos : et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris⁴. » Procedimus ad inimicos nostros, et tu nobiscum non procedis : videmus eos, prævalent illi, et nos invalidi sumus. Ubi est illa virtus tua? ubi est dextera et potentia tua? ubi mare siccatum? ubi

¹ Psal. XLII, 9. — ² Id. LXXXIII, 5. — ³ Id. XLII, 10. — ⁴ Ibid.

Ægyptii persequentes fluctibus obrupti? ubi Amalech resistens, in crucis signo superatus¹? « Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris. »

XI. « Avertisti autem nos retrorsum præ inimicis nostris : » ut quasi illi ante sint, nos retro; illi victores, nos victi deputemur. « Et qui nos oderunt, diripiebant sibi² » quid, nisi nos?

XII. « Dedisti nos tanquam oves escarum, et in nationibus dispersisti nos³. » A nationibus manducati sumus. Hi significantur qui sic passi sunt, ut in corpus gentium verterentur. Plangit enim eos Ecclesia, tanquam membra sua devorata.

XIII. « Vendidisti populum tuum sine pretio. » Vidimus enim quos dedisti, non vidimus quid accepisti. « Et non fuit multitudo in jubilationibus eorum⁴. » Numquid enim quando fugiebant Christiani persequentibus inimicis idololatriæ, fiebant congregationes et jubilationes Deo? Numquid concinebantur hymni de Ecclesiis Dei, qui solent in pace concini, dulcique concentu fraternitatis Dei auribus personari? « Et non fuit multitudo in jubilationibus eorum. »

XIV. « Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris, sannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. » Posuisti nos in similitudinem in nationibus⁵. » Quid est, « In similitudinem? » Quando maledicentes homines similitudinem dant de eo quem detestantur. Sic moriaris, sic puniaris. Quanta tunc dicta sunt talia? Sic crucifigaris. Hodieque non desunt hostes Christi, illi ipsi Judæi, contra quos quando defendimus Christum, dicunt nobis : Sic moriaris quomodo ille. Non enim illam mortem intulissent, nisi eo modo mori vehementer exhorruissent; aut quid

¹ Exod. XIV, 21, 27, et XVII, 11. — ² Psal. XLIII, 11. — ³ Ibid. 12. — ⁴ Ibid. 13. — ⁵ Ibid. 14, 15.

mysterii haberet, si intelligere potuissent. Cæcus quando inungitur, collyrium in manu medici non videt. Nam crux ipsa et pro ipsis persequentibus facta est. Inde sunt postea sanati, et in eum crediderunt quem ipsi occiderunt. « Posuisti nos in similitudinem in nationibus, commotionem capitis in populis: » commotionem capitis ad insultandum. « Et locuti sunt labiis, et moverunt caput¹. » Hoc Domino, hoc etiam omnibus sanctis ejus, quos persequi, quos tenere, quos illudere, quos tradere, quos affligere, quos occidere potuerunt.

XV. « Tota die verecundia mea contra me est, et confusio vultus mei operuit me: a voce exprobrantis et obloquentis²: » hoc est, a voce insultantium et crimen mihi objicientium, quia colo te, quia confiteor te: et crimen mihi objicientium de illo nomine, unde mea omnia crimina delebuntur. « A voce exprobrantis et obloquentis, » id est, contra me loquentis. « A facie inimici et persequentis. » Et quis hic intellectus? Quæ præterita dicta sunt, non in nobis fient: quæ futura sperantur, non apparent. Præterita: in magna gloria tua eductus est populus de Ægypto, liberatus a persequentibus, ductus per gentes, expulsis gentibus, collocatus in regno. Quæ futura? Educendus populus de ista Ægypto sæculi, duce Christo apparente in gloria sua; ponendi sancti ad dexteram, iniqui ad sinistram³, damnandi iniqui cum diabolo in æterna pœna; accipiendum regnum a Christo cum sanctis in sempiternum. Hæc sunt futura, illa præterita. In medio quid? Tribulationes. Quare? Ut appareat animus colens Deum, quantum colat Deum; ut videatur utrum gratis colat eum, a quo salutem gratis accepit. Si enim tibi dicat Deus: Quid dedisti mihi ut facerem te? Certe si factus promeruisti me, non me promerueras antequam facerem te.

¹ Psal. xxi, 8. — ² Id. xliii, 16. 17. — ³ Matth. xxv, 33.

Quid dicturi sumus ei, qui primo gratis nos fecit, quia bonus est, non quia aliquid meruimus? Deinde de ipsa reparatione, de secunda nativitate quid dicturi sumus? Merita nostra fecisse ut nobis illa salus perpetua mitteretur a Domino? Absit. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram veniret. Non venit ille ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fuisti, et factus es: quid Deo dedisti? Malus fuisti, et liberatus es: quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Merito et gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo a te, ut et tu gratis eum colas; non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna.

XVI. Sed ipsa æterna vide ne aliter cogites, et cogitando æterna carnaliter nihilominus Deum gratis non colas. Quid enim? Si ideo colis Deum, quia dat tibi fundum, non eum culturus es, quia tollit tibi fundum? Sed forte tu dicis: Ideo eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris: amore enim casto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro sæculo, quæ hic necesse est derelinquas: mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Non laudatur in illo jejunium, qui ad luxuriosam coenam servat ventrem suum. Invitantur enim aliquando homines ad coenam magnam, et cum ad eam volunt avidi venire, jejunant: numquid hoc jejunium continentiae, et non potius luxuriæ deputandum est? Noli ergo talia sperare tibi danda a Deo: qualia hic jubet contemnere. Hæc enim sperabant Judæi, ideo turbabantur in illa quæstione. Nam et ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hic amant. Ideo cum eis proponeretur quæstio illa a Sadducæis, qui non credunt resurrectionem, de illa muliere quæ nupsit septem fratribus sibimet succedentibus,